Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.

Wien, 1794 Seite 2593

Quelle:
Copyright:

memoratum ab *Ant. Augustino* in Praef. ad *Decretal.* et *Nic. Antonio* in *Bibl. Hisp. vet.*

III. *fol.* 13. praemissa protestatione. *Incipit thema magistri gerardi groet de focaristis ad clerum traiectensem.* Initium: *Recedite recedite exite inde pollutum nolite tangere exite de medio eorum. Ysaie LII. Patres et domini venerabiles hec exhortacio et iussio est principaliter omnipotentis dei* &c. Exemplum simile illi, quod *Cod.* DLXXXI. adtuli, nisi, quod hic *Protestatio* subsequa, ibi vero praemissa deest. Ad calcem paene eadem utrobique Subscriptio, sed hic additum: *Scriptus leodij anno domini 1411. et finitus in profesto kyliani per manus Henrici de Assindia.* Hodie *Essen.*

IV. *fol.* 49. Nota illa Epistola satyrica: *Lucifer princeps tenebrarum tristia profundi regens acherontis imperia — precipue moderne ecclesie principibus* &c. Toties relata, ut jam verbulum addere pigeat.

V. *fol.* 52. *Incipiunt LXV. theoreumata magistri Jordani correspondentia totidem articulis de passione domini ab eo editis. Articulos* ipsos indicavi alio loco, ut *Index* docet, ubi et de Autore *Saxone Quedlinburgensi* O. Erem. S. A. Quae hic *Theoremata* vocat, Orationes totidem sunt ad Servatorem patientem directae, quarum prima incipit: *Domine ihesu christe fili dei viui qui hora matutinali pro me misero peccatore* &c.

VI. *fol.* 57. p. 2. Piae Preces, videlicet: Officium de aeterna Sapientia, de Passione Domini; Rhythmi ad singulas partes Corporis Christi, Oratio prolixa ad eundem et similis ad Deiparam. Adhaerent Textus bini *de Consecrat. Dist.* 6. cum notis et Excerptum e L. VI. *de Gestis saluatoris* C. 17.

VII. *fol.* 74. *Psalterium*, ut e calce adsumo, *beatissime virginis marie editum per beatum Augustinum doctorem egregium — In quo quelibet distinctio correspondet per concordanciam sensus aliqualiter ordinatam cuilibet psalmo.* Perperam *Augustinum* hic protrudit Librarius *Bonaventurae* loco, apud quem *Opp.* edit. *Lugd.* 1668. T. VI. p. 473. hi Rhythmi *Psalterium minus B. V.* audiunt, neque habent Psalmorum initia margini adscripta, ut in nostro *Cod.* In ead. edit. p. 478. sequitur *Psalterium* dictum *majus* e Psalmis in Matrem Dei detortis constans, de quo nihil in *Codice*, qui continuo incipit: *Ave Virgo vite lignum* &c.

VIII. *fol.* 84. Varia de Sacramento Eucharistiae, Missaeque Sacrificio congesta, puta: An istud festinanter, an tractim peragendum sit; de sex gradibus ad illud accedendum; *Augustini* et *Bernardi* autoritates; Duo ad celebrandum Sacrificium necessaria, videlicet apte se disponere, et devote id perficere; Conditiones ad celebrandum requisitae; Vestimenta sacerdotalia; Materia et Forma Sacramenti; Septem in eo Miracula; Pericula circa id contingentia &c. Quae partim ad